

ostentationem medicorum infelices progressus modò rogat Dei auxilium, modò desperat contra tantam nebulonum copiam deplorat sortem, narrat historias, fletum discipulorum, pœnitentiamque illorum. His rationibus disciplinam admirabilem in contemptum deduxere: ex vtilissima, damnosam, ex pia & officiosissima, bonis plena exemplis, honesta, decora effecere detestabilem, malorum & miseriarum fontem, falsorum professorum qui se illius titulo vendicarunt ingressu cum ornato decoro, comitatu splendido. Audi Historiam breuem. Erat medicus Mediolani, qui vt imponeret ciuibus medicis, implebat ægros vsque ad guttur, vt nemo euaderet, curabat nobilem quendam, & admonitus sæpè à quodam medico amico meo, vt modum aliquem tantæ repletioni poneret, non paruit, sed irrisit, paulò post cum videret illum efflare animam, conuenit medicum à quo monitus fuerat dicens: Ecce nunc est occasio in qua cuperem te mihi socium habere, & ego libenter, imò liberè illum tibi concessurus sum, vt possis vt velis curare. Tum amicus meus inquit: Vt scilicet quem tu peremisti, videatur à me sepultus. Dicebat ergo si recepissim, & nutriuissem, socium volebat homicidij, si subtraxissem, necis mihi causam imponere. Ergo hæc sunt miranda huius artis exempla, inelyti artifices, successus perniciosi, mirabilis stupor, sed vnde oriatur, pauci norunt. Quid ergo mirum? ò nimis ambitiosi, frustra obiciunt, quid proficiam? cur ab initio non patiuntur vocari, an timent quod ego LXXV. annorum per Vrbe[m] curissem? in curando tota vis est in prima die, vt serues in continua obseruatione, & hæc gloria est, dicetis quis tu, nunquam ne erras: forsitan non. Herophilus cum nihil se scire testatus esset, multò melius (quanquam prior etiam teste Vesalio Anatomiam tradidit) quam cum tot scientiis Galenus. Surgimus in flati, erramus in scij, profitemur quæ non didicimus, dumque de plurimus gloriamur, tantò in pluribus nos fallimus, alios euertimus nostris erroribus: hæc est misera scientia mortalium, vmbra vana. Quæritis an cum iis sciamus aliqua: an Mathematica prorsus inanis sit, an simus omninò Pyrrhonicus? non, absit: sed faber lignarius arcam meliùs conficit, quia scientiæ expers sensibus vtitur, & ratione ac iudicio eorum, dum mentem non didicit.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Dum non confidit in vanis disciplinis, neque tumultuatur in verbis, neque ambitione stringitur, & cogitur, veritas illi brachium est, & meta sensus, experientia iudicium. Sic nos sensibus & rationi firmè innitentes, artem sanitatis Deo dante non falsa sapientiæ professione aggrediemur. Medicum autem eligemus ministrum naturæ, & moribus probum, quod ex familiis à quibus ortum ducit, atque maioribus coniectaberis, tum vitæ illius historia, planè veritatis amatorem, contemptorem quasi honoris & diurni quæstus, paucorum verborum studiosum, humanum, prudentem, vitæ admodum frugalis, boni iudicij, gratum, misericordem, ætatis ultra

quadagesimum annum, qui rem vt se habet doctrinarum sciat, in opere fortunatum, & minimè auarum, nec parata medicamenta in officinis tenentem, cum pharmacopolis participantem: atque ab illis maxime caueas, qui se nouam artem medicam fingunt, atque adinuenisse profitentur, imò spretis diuini Hippocratis, atque aliorum veterum medicorum dogmatibus, suo Marte medentur, & quicquid eis in mentem venit, absque alia ratione ac methodo exequantur in perniciem humani generis, nec parum damnanda est illorum arrogantia, qui falsa scientiæ professione freti, contra Hippocratem omnium medicorum absque controuersia principem, scribere audent, eiusque Aphorismos, in quibus diuina illa oracula & aurea dicta continentur, verbis corripere student, more grammaticorum, nec vllam etiam diatandi rationem seruant, modò ægrotantes nimio cibo iugulantes, modò oua, carnes, & vinum etiam in febribus acutis exhibentes, vt mulierculis, aliisque assistentibus placeant, blandiantur, ve, solum sibi præ oculis lucrum ponentes: modò nimia inedia interficientes: tanta est istorum imperitia. At dices, cur aliqui in horum manibus ita malè curati euadunt: illos me hercle Dei beneficio, non medici male medentis opera, in pristinam sanitatem fuisse restitutos, existimandum est.

A quo medico cauendum sit.

CAPVT III

De prandio, & cœna, & de exemplo doctorum, & quantum faciat modus in vnaquaque re.

Iam verò ne videamur potius velle construere dogma, & disputare, quam humano generi consulere, iam diu factitata est contentio, ac quæstio, & valde celebris vsque ad iurgia adeò acriter, an prandium conueniat esse maius cœna? Hoc primum exponetur tam vtile mortalibus, quam authoribus esse videtur, cum tamen non multum boni in se cõtineat, nam primum quæritur à vobis clarissimi viri, an alterutrum sit verum? Si vnũ verum est, alterũ est falsum, & qui falsum tænet, si ipsũ sequantur plures, magnum hominum generi damnum affert, si etiam pauciores, sed huic igoscamus, est enim humanum errare, & in multis & in maximis sed hic præter id etiam in errore velle gloriari, amicis velle nocere, id etiam grauius est: sed grauissimum, atque intolerandum, velle finem assequi, qui nullus est, nam omnibus velle conuenire prandium cœna plenius, absurdissimum est, cum aliqui & multi nullo modo pranderent, vt etiam tempore Romanorum: quod & Homerus, & Martialis longa testatur serie verborum in eo epigrammate:

Prima salutantes atque altera detinet hora.

Exercet raucos tertia Causidicos.

In quintam varios extendit Roma labores.

Sexta quies lassis, septima finis erit.

Imperat extractos frangere nona toros.

Antiquo tempore postmodum qui luxuriose

Historiam nota.

Curandi vis in prima die.

Misera mortalium scientia.

Optimi medici electio.